



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

3. Inordinationes claustrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

concurrere videbuntur, scilicet vt & gemere pro se, & exultare in Deo nouerit, simul & proximorum vtilitatibus potens sit subuenire: placens Deo, cautus sibi, vtilis suis. Ad statum etiam eius qui perfectus est, pertinet, imperfectionem suam agnoscere, & perfectionem appetere, & imperfectionem proximi patienter tolerare. Gregorius in moralibus. Magna est perfectio, suæ imperfectionis cognitio. Augustinus. Quantum mihi videtur, in ea quæ perficienda est iustitia, multum in hac vita proficit, qui, quàm longè sit à perfectione iustitiæ, proficiendo cognouit. Bernardus. Nemo perfectus, nisi qui perfectior esse appetit. Idem: Ita nimirum solet diuina pietas, conseruando humilitatis gratiam, ordinare, vt quantò plus quisque proficit, eò minus se reputet profecisse. Nam vsque ad extremum spiritualis exercitij gradum, si quis tantum proficit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur: vt adhuc vix sibi illum adeptus videatur. Greg. Ille verè perfectus est: qui ad imperfectionem proximi impatiens non est.

*Lib. 5. mor.
cap. 14. in
princip.*

De quibusdam inordinationibus claustris.

CAPVT III.

VLtimo in hoc quarto libro notandū, quòd in aliquibus claustris vbi cuncta ordinatè fieri deberent, loco ordinationis est confusio infernalis, vbi nullus ordo. Quod deberet esse intus, est extra. quod deberet esse sursum, est deorsum: quod deberet esse dextrum, est sinistrū: quod deberet esse ante, est retro: quod deberet esse medium, est extremum. Primam inordinationem, facit hypocrisis: cum scilicet clau-

P 5 stra-

strales faciunt opera sua, vt videantur ab hominibus: & qui puritatem deberent quærere interiorius, quærunt eam exterius: à saluatore maledicti. *Matth. 23.* Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod foris est, &c. Væ vobis qui similes estis sepulchris dealbatis, putredine plenis. *Ibid.* Secundam inordinationem facit subditorum superbia. Quasi pedes sunt sursum, & caput deorsum, cum oportet quod prælatus quærat à subditis, quod Saluator quæsiuit à cæcis. Quid vultis vt faciam vobis? Potius congrueret subdito, quod dicit Paulus Saluatori: Domine quid me vis facere? Tertiam inordinationem facit cupiditas & auaritia. Quasi faciem præposteram habet religio, in qua temporalia spiritualibus præponuntur: Facti sunt retrorsum, & non ante. *Matth. 20.* *Actor. 9.* Quartam inordinationem facit sapientia carnis inimica Deo: quod dextrum est, sinistrum reputans: pœnitentiam valde fructuosam crudeli miseratione minuens: quæ virgam disciplinae abiicit, quam osculari debuit. Bernardus. Si pœnitentia nostra crudeli miseratione minuitur, paulatim gemmis corona nostra priuatur. Quintam inordinationem facit negligentia, quæ est in hominibus præposteris, qui vix in fine vitæ faciunt, quod in principio conuersionis suæ facere debuerunt. Sextam inordinationem facit prælatorum malitia, qui cum exemplo Saluatoris in medio fratrum esse deberet, in parte se ponunt. Ex quibus omnibus extat versus: Intus adest, extra quod sursum, sitq; deorsum. Anteretro vertunt, quod dextrum, sitq; sinistrum.

Finit quartus liber.

LIBER